DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

CONTINENS

BREVEM HISTORIAM MORBORUM, HOC ANNO IN NOSOCOMIO ACADEMICO OBSERVATORUM.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

CONTINENS

BREVEM HISTORIAM MORBORUM, HOC ANNO IN NOSOCOMIO ACADEMICO OBSERVATORUM.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CASPARI GEORGII CAROLI REINWARDT,

PHIL. ET MED. DOCT. IN FACULTATE PHYSICO-MATHEMATICA PROF. ORD.

NEC NON

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

JOHANNES GODOFRIDUS WAARDENBURG,

HARLEMENSIS.

AD DIEM IX. JUNII MDCCCXXXII, HORA XII—I.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD J. W. VAN LEEUWEN,

MDCCCXXXII.

COMMILITONIBUS AMICISSIMIS HOC
ANNO NOSOCOMIUM VISITANTIBUS,

Sacrum.

Praefatio.

Dum, studiis Academicis peractis, mihi Academiam relicturo, ut legibus satisfacerem, scribenda est Dissertatio, hunc in finem primo mihi consilium erat, in febris naturam indagare, dum semper mihi obscurum esse videbatur, febrem ephemeram vel inflammatoriam, cum febre intermittente vel larvata ejusdem esse naturae; magis etiam ad hoc consilium concitabar a lectionibus therapeuticis egregiis Cl. Pruys van der Hoeven, qui in exponendis febribus simplicissimam quaesivit speciem febris, ut typum, ex quo febres ceterae explicarentur magis complicatae et ideo ephemeram benignam posuit ut normam, ex qua facilius, aliae species intelligi possent. Ex hac expositione jam magis in hocce campo lux mihi affulgebat et desiderium

exoriebatur haec altius repetendi. Praesertim autem febris intermittentis naturam indagare volebam et non longe a sententia aberam, (posita ephemera ut norma verum febris characterem referente) febres intermittentes proprie ad febres non pertinere, illas nonnullis symptomatibus quidem febri stricte dictae non dissimiles esse, illas autem quod ad naturam cum ceteris febribus nil commune habere, sed ad morbos nervosos pertinere; febrem intermittentem igitur affectionem esse nervosam, spasticam et verosimiliter causam habere in spasmo nervi sympathici, quam sententiam ex symptomatibus nonnullis, aliisque probare posse putabam. Necesse erat et historiam Medicinae consulere, ut pateret, quid antiquiores quid recentiores de hac re scripserint. Dum autem antiquiores auctores conferebam et varias eorum de febris natura theorias annotaveram, in his jam tantum temporis impenderam, ut mihi mox pateret, me ante ferias, hanc materiem non absoluturum fore: deterrebar a massa illa auctorum, qui pervolvendi essent, et experiebar de hac re scripsisse viros auctoritate magnos; quare etiam mihi juveni tironi periculosum esse videbatur, meam sententiam defendere, nisi omnibus numeris absolutam, quam propter tempo-

ris brevitatem proferre nullomodo poteram. Igitur, vel annum fere dispendendum erat ad expositionem ejusmodi Disputationis, vel Dissertatio scribenda erat nullius plane momenti, quae dono coacto similis, inserviret ut legibus satisfieret. Cholera Indica interim regiones nostras appropinquat, et fortasse hisce feriis nos arripit; meum igitur est officium hoc in casu, ubi necesse erit, auxilium quampote praestare aegrotantibus, quod secundum leges difficile esset, nisi gradum Medicinae doctoris obtinuerim. Quae dum ita sunt, concludi denique ad Dissertationem, quam paucis diebus perficere possem; et dum breves confeceram annotationes, omnium fere aegrorum in Nosocomio Academico durante hocce curriculo Academico, quas autem numquam praevidere potui ad dissertationem unquam inservituras esse, consilium cepi has conficere et conscribere historiam brevem aegrotantium. Talis ergo sequitur historia. Nil novi, nil notabilis fere continet.

Lectoris, si quis erit, benevolentiam imploro, animadvertat causas urgentes, quae me ad hoc argumentum impulerunt.

Dum autem nemini refert haecce historia, nisi fortasse commilitonibus hocce anno Nosocomium visitantibus, vobis amicissimis hanc his-

—

toriam dedicandam esse credidi; vellem me meliora vobis offerenda habere, sed accipiatis! quia est ab amico vobiscum commilitone quondam, tam in lectionibus medicis et Nosocomio, quam in exercitu nostro et in proeliis contra Belgas.

Simplex est veri sigillum; simplicissimis ergo verbis gratias ago Praeceptoribus optimis, Facultatis Medicae Professoribus, pro egregia institutione et consiliis: imprimis vobis permulta debeo in Nosocomio Academico Praeceptoribus, qui tantopere studetis, ad formandos medicos rationales humanitatis cultores: Deus Optimus vobis longam praeparet vitam tot hominibus utilem et necessariam, persuasum habeatis me semper grato animo vestras lectiones in memoriam revocaturum et secuturum fore. Valeant haec pauca pro multis.

DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS

CONTINENS

BREVEM HISTORIAM MORBORUM HOC ANNO IN NOSOCOMIO ACADEMICO OBSERVATORUM.

PARS MEDICA.

Antequam ad ipsas morborum historias procedam, quaedam breviter praemonenda sunt de constitutione Epidemica a mense Septembris 1831 hucusque. Intelligitur autem non judicari posse de constitutione ex solo Nosocomio, quia plerumque nimis parvus est numerus aegrorum, ut ex inde cognosceretur, sed ex aegrotantibus praesertim extra Nosocomium observatis.

September 1831. Menses praeterlapsi aestivi admodum calidi fuere atque sicci, imprimis mensis Julius et primi dies mensis Augusti durante expeditione bellica in Belgiam. Aestate constitutio in ex-

1

ercitu saltem erat biliosa, gastrica; febres biliosae, affectiones gastricae, variolae cum complicatione plerumque gastrica plurimum benignae, quibus non insertae erant variolae, malignae, praecipui morbi erant regnantes. Postrema mensis Augusti et prima parte Septembris dies multi pluviales, ventosi, flante plurime vento Favonio pluviali (Zuidwesten wind), quibus pluviis nostri agri aggeribus circumdati (Polders) multis aquis immerguntur. Altera pars mensis Septembris mitis et sicca erat regnantibus morbis catarrhali-gastricis, febribus intermittentibus. Prope urbem Sylvam Ducis regnabant hoc tempore febres intermittentes malignae paludosae, a miasmate orto ex inundationibus ad urbem muniendam institutis.

October. Tempestas usque ad diem vigesimum secundum mitis, fere aestas protracta dicenda, ventus Favonius creber, iidem fere morbi. Hac die autem tempestas subito mutatur, venti regnant procellosi cum pluviis largis, et inde per totum mensem dies fri idi, procellosi, regnante humido frigido, febres intermittentes bilioso-gastricae vel gastrico-catarrhales. Multiplex leniter diaphoreticorum usus, vel evacuantium et resolventium.

November. Hoc mense praevalente humido frigido, frequens erat procella cum vento cauro

(Noordwest), toti dies saepe pluviales vento frigido vel grandine, nive, imbribus comitati, nullus fere dies sine pluviis. Morbi regnant catarrhales, rheumatici, febres intermittentes catarrhales, catarrhus pulmonum, tussis quinta etc. Conveniunt diaphoretica mucilaginosa, potus tepidus, antispasmodica. Magnus aegrorum numerus.

December. Eadem fere tempestas, non autem tam humida quam praecedente mense, regnat tamen humidum frigidum, nostris regionibus imprimis propium. Morbi plurime catarrhales, tussis, rheumatismi, passim febres catarrhales nervosae.

Januarius 1832. Coelum siccum frigidum per totum mensem flante Borea et Euro (Oosten wind), parvus aegrorum numerus, plurime catarrhi, rheumatismi, inflammationes, apparatu antiphlogistico saepius, nonnumquam autem et diaphoreticis debellandae.

Februarius. Eadem tempestas, idemque morborum character, hinc illinc autem diarrhaeae cruentae, ut videtur ex causa rheumatica, facile fugandae, diaphoreticis mucilaginosis pulvere Doveri junctis. Passim etiam variolae vel varicellae.

Martius. Mutabile tempus praevalente autem sicco frigido, dies multi ventosi, ventus mutabilis, morbi catarrhales, febres intermittentes frequentes inter infantes, quorum hoc tempore magnus nu-

merus febribus laborabat, non autem malignae erant, et amaris vel cortice tollebantur.

Aprilis. Tempestas aequabilis sicca, flante fere semper vento frigido, magnus aegrorum numerus, morbi catarrhales, febres intermittentes vernales plurimae gastricae indolis, diarrhaeae, colicae, cholera. Multiplex usus corticis Peruv. saepe etiam purgantium, et demulcentium.

Majus. Prima hujus mensis pars pro anni tempore valde frigida fuit, flante plurime Cauro, aut Borea, dies multi etiam pluviales, magnus aegrorum numerus, morbi multi gastrici, intestina facile afficiuntur, multae diarrhaeae, colicae et febres intermittentes, quae aliis annis catarrhales, nunc autem omnes fere gastricae sunt, quare saepius conveniunt leniter alvum moventia vel purgantia, et imprimis Sulph. Quininae, nam etiamsi simplices factae sint, non facile sponte silent.

Illae frequentes affectiones gastricae, tempore quo ceteroquin non frequenter observantur, quo iis minime favet athmosphaerae temperatura, quaestionem fere moverent, an non essent prodroma Cholerae Indicae? uti in aliis regionibus, ut in insula Javae observata sunt, ante morbi eruptionem.

MORBI INTERNI.

NOMINA MORBORUM.	Numerus.	Sanati.	Non sanati.	Mortui.	Adhuc curantur.	ANIMADVERTENDA.
Peripneumonia. .	3	2		1		Notandum est, illos aegrotantes hacce tabella esse notatos, qui a mense Octobris, usque ad diem 23 Maji in Nosocomio suscepti sunt, quod de omnibus valet hacce in dissertatione aegris notatis.
Pleuritis.	2	1		1		
Febres catarrhales.	2	2				
Febris gastrica. . .	1	1				
Febris nervosa. . .	1	1				
Febris chlorotica.	1				1	
Febres interm. quotid. et tert. .	37	27	1		9	
Febres interm. quart.	10	10				
Febris interm. erratica.	1	1				
Nephritis Chron. .	1	1				
Rheumatismus. . .	4	3	1			
Arthritis chron. .	1	1				
Catarrhus pulm. .	4	4				
Haemoptoë. . . .	3	2			1	
Phthisis tuberculosa.	9	2	3	2	2	Alter ex mortuis jam prima nocte qua in in Nosocomio susceptus fuerat, occubuit.
Phthisis pituitosa.	3			2	1	
	83	59	5	6	14	

NOMINA MORBORUM.	Numerus.	Sanati.	Non sanati.	Mortui.	Adhuc curantur.	ANIMADVERTENDA.
Transp.	83	59	5	6	14	
Vomica.	1	1				
Dysphagia.	2			2		
Diarrhaea Chron.	1		1			
—— catarrhalis. .	1	1				
Hydrothorax. . . .	3		1	2		
Hydrops ascitis et anasarca.	5	1		1	3	Hydropicus ille mortuus modo per duos dies in Nosocomio vixit.
—— pericardii. .	1			1		
Leucophlegmatia .	1	1				
Hemiplegia. . . .	1				1	In faemina 34 annos nata post febres interm.
Exanthema herpeticum.	1	1				Exanthema inveteratum in muliercula, sanatum purgantibus primo, sed praesertim diureticis calidioribus, ut Terebinth. et s. p.
Induratio lienis. .	I		1			
Syphilis.	1	1				
Haematuria. . . .	1	1				
Dysuria.	1				1	
Debilttas post morbum gastr. . . .	1				1	
Affectio paralytica omnium fere functionum. . .	1		1			
	107	66	9	12	20	

Febres intermittentes autumnales.

Morbi, quos in autumno, incipiente curriculo Academico, plerumque observare solemus, sunt febres intermittentes quotidianae et tertianae bilioso-gastricae, frequentes post calores aestivos intensos, si epidemice grassantur, malignae, quo in casu hae febres jam in aestate se ostendunt, quaeque autumnales post purgantia, vel emetica corticem requirunt, nam raro sine cortice silent et saepe nisi cortice adhibito usque ad vernales protrahuntur. Etiam hocce autumno observavimus multas febres intermittentes ut plurimum gastricas et gastrico-catarrhales; in eo nunc differebant, quod emetica vix umquam erant indicata, quia desiderabantur symptomata saburrae in primis viis, quae haerebat in intestinis crassis; neque etiam corticem Peruv. requirebant. Ex quindecim aegris intermittentibus his laborantibus, modo in uno casu emeticum requirebatur. In aegrotantibus nostris prima vice visitatis, sequentia notavimus symptomata: lingua muco albo vel flavo obsessa, appetitus deletus, sapor oris ingratus, alvus tarda vel obstructa, abdomen tumidum, durum saepe, symptomata etiam catarrhalia, tussis, vox rauca, dolor capitis, saepe et supraorbitalis, exanthemata ad labia et an-

gulos oris. Quamvis in omnibus fere symptomata gastrica erant praevalentia, tamen minor usus erat purgantium, quam quidem resolventium, dum horum usu facile movebatur alvus. In paucis igitur purgantia dedimus, sed extracta resolv. mucilaginosis leniter diaphoreticis juncta ut e. g. decoct. alth. cum extr. gram,, Sale Ammon., vel tart. emet. refracta dosi cum Rob. Samb. egregii erant usus. Clysmate resolvente, si alvus stricta erat, adjuvabatur cura, quibus plerumque symptomata gastrica et febris ipsa disparuere. Facile autem intelligitur, non omnes hos febricitantes eodem modo tractatos esse, sed pro diverso aegro (individuo) diversam esse medicationem, nam nostro in Nosocomio abhorremus a methodis vel systematibus, sed therapeiam universalem sequimur peculiaribus casibus pathologicis applicandam. Medela autem in genere constitit primo in purgantibus dein resolventibus, diaphoreticis, denique amaris tonicis cura finiebatur.

Notabile est plerasque febres facile disparuisse dicto modo, neque corticem ut febrifugum requisivisse, dum autumnales intermittentes plerumque non sponte silent, sed fiunt habituales; ad tonum augendum post febrem silentem corticem adhibuimus. Videntur hae autumnales hoc anno fuisse ut tempore Petri Foresti, qui testatur se

facile amaris febres has fugasse, neque nisi rarissime infelicem eventum vidisse. Hodie autem autumnales si epidemice grassantur admodum periculosae sunt, et multa funera faciunt. Tribus aegris, quibus post adhibita resolventia, evacuantia, febris perdurabat, tollenda erat ope Sulph. Quinin., qui dein prompto corticis usu convaluere.

Decursus paroxysmi febrilis erat cum rigore in primo stadio brevi, pulsu parvo spastico frequente; longissimum erat stadium alterum, calor intensus, oculi rubentes, acidorum appetitus, sitis magna, anxietas summa, pulsus frequens celer, hoc sequebatur largus sudor, peculiaris illius in intermittentibus odoris, in nonnullis lintearia colore flavo tingens, urina profunde rubra, cum sedimento lateritio. Apyrexia brevis erat, et capitis doloribus comitata.

Dictis medicamentis adhibitis alvus movebatur, sana restituebatur, sapor oris bonus et appetitus redibant, lingua purior fiebat, et cessabat capitis dolor. Paroxysmi denique in tertianis quotidie breviores erant, in quotidianis postponentes, tandem disparebat febris, amaris tonicis cura absolvebatur, quae plerumque intra viginti dies obtinuit.

Tales erant febres interm. hoc tempore regnantes sed praeterea, varios habuimus aegrotan-

tes, sic observavimus Pleuro-pneumoniam in puella viginti annorum, rustica, pleno corpore, plethorica, quae apparatu antiphlogistico et emollientibus sanata est, relicta autem passione hysterica, qua per annos jam laborat. Prae aliis autem notabilis erat in juvene 22 annorum,

Febris typhoidea.

P. K. juvenis 22 annorum ante aliquot dies febre corripitur continua remittente, die 3 Novembris Nosocomium ingressus est. Habitus ejus est gracilis, macilentus, foemineo quam virili fere similior, capilli albi, oculi caerulei, cutis tenera pallida. Praecesserunt vigiliae et fatigatio, propter aegrum cui serviebat. Tempestas mensis Octobris fuit pluviosa, mitis, cum vento plurime pluviali Favonio (Zuidwest), nunc autem procellosa, magis frigida cum vento plerumque Cauro (Noordwest).

Die 3 *Novembris.* Calor corporis insignis, alternatim sudat et calet, respiratio frequens, pulsus frequens et celer, lingua rubra sicca, alvum misit paululum liquidam, praescribimus remedium diluens refrigerans, ex aqua hord. extr. gram., Rob samb. et oxymelle.

Vesperi: Augentur symptomata, cutis sicca.

Die 4 Novembris. Eodem versatur in statu, alvum parce dimisit, julapio additur unc. β aceti vini. (Propter praegressas potentias nocentes et habitum gracilem status nervosus metuendus est.)

Die 5 Novembris. Universum corpus calet cum cute sicca, dolor capitis, oculi paululum rubentes, vox et lingua tremula, humida magis quam heri, sed crasso muco obducta, appetitus adhuc deletus, fere nil nisi medicamenta assumit. Debilis est et phlegmaticus, vix loquitur, neque de ullo incommodo queritur. Saepius per hunc diem eum dormientem inveni, tamen se nocte non dormire affirmat. Pergimus in diluendo, temperando, aucto systematis vasculosi motu.

Die 6 Novembris. Ut heri calor universus, si quaeratur quomodo valeat, respondet, »bene: torpent sensus organa, oculi saepe sunt fixi, surdus est, difficulter loquitur, lingua sicca, plicis siccis albis quasi tecta, pulsus frequens, celer, debilis. Pro potu aq. hordei cum succo citri imperatur.

Vesperi: Exacerbatio: dormiens quasi jacet, quaestionibus tamen statim debili et tremula voce respondet, linguam vix educere potest, dolet caput, carotides pulsant, delirat. Bis alvum deposuit serosam, membranulis mixtam. Julapium

ex aqua hord., Rob. Ribesior. et aceti vini unc. i β Sinapismi ad crura applicantur.

Die 7 *Novembris.* Ut heri: linguae crustae bruneae fiunt. Desipit, cognatos non cognoscit, delirat tacite.

Vesperi: Exacerbatio: cutis madida, symptomata omnia aucta. Applicantur capiti fomenta frigida ex aqua et aceto, sinapismi ad pedes admoventur, pergimus cum julapio.

Die 8 *Novembris.* Calor cutis minor, minus etiam pulsant carotides, linguae margines humidi fiunt, sicca illa crusta brunea decidere incipit et parva ulcuscula relinquit. Alvum deposuit foetidam, saburralem fere, urina nubeculosa cum membranulis fundum petentibus; respiratio frequens, morbus exacerbare videtur, quod solet vespertino tempore ceteroquin, pulsus auctus bis pulsans. Praescribitur clysma ex infus. flor. Chamom. et aceto, et linctus emolliens ad emendandam oris siccitatem. Cum caeteris pergimus.

Vesperi: Alvum liquidam deposuit, quare clysma non applicatum est, nulla ceterum mutatio.

Die 9 *Novembris.* Nocte delirans cubiculo exiit, nunc tamen melius se habet, cutis madida, cuticulae linguae decidunt, alvum saepius misit saburralem, liquidam, non ita ut colliquativam diceres, pulsus fortior, quamvis adhuc soporosus est, tamen

melius quaestionibus respondet. Pergimus in usu aceti.

Vesperi: Bis alvum demisit, urina fere sana.

***Die** 10 Novembris.* Calet admodum, dolor adest capitis, pejus se habere dicit, lingua magis sicca, pulsus frequentior, debilior et celer, exacerbare morbus videtur. Julapium ex aceto, fomenta capitis frigida, sinapisni ad crura adhibentur.

Vesperi: Major congestio ad caput, perfecte soporosus est, pulsus minus frequens, quam matutino tempore. Admovetur capiti fomentatio Schmuckeriana; alvum misit parcam liquidam.

***Die** 11 Novembris.* Non melius se habet, pulsus et stupor ut heri, lingua quamvis ad margines a crusta libera, media parte adhuc obsessa sicca, urina turbata paululum. Praeterea nunc vexatur tussi sicca. Praescribitur idem Julapium addito dr. j aeth. acet, praeterea pulv. ex caphur. gr. iij in xij pulv. o. h. p.

***Die** 12 Novembris.* Ut heri respiratio frequens cum pulsu parvo debili frequente. Praeterea prorumpunt sudores copiosi, urina sana, linguae crustae reliquae deciduae sunt.

Vesperi: Nulla mutatio.

***Die** 13 Novembris.* Paululum melius se sentit, pulsus tamen valde debilis, tussis adhuc sicca, praescribitur aq. hord. cum aethere sulph.

Vesperi: Valde delirat cum pulsu debiliore, alvum fere sanam deposuit: fomenta frigida capiti admoventur.

Die 14 *Novembris.* Alvum sanam deposuit, valde debilis est, pulsusque decrescit, duplicatur caphurae dosis et praescribitur infusio valerian., ex rad. valer. unc. β ad colatur. unc. viij elix. vitriol. Halleri scr. ij et syrupo.

Die 15 *Novembris.* Nocte multum deliravit, pulsus debilis, nulla nunc congestio ad caput, alvum parce sanum fere misit, urina sani coloris. Iisdem pergimus.

Die 16 *Novembris.* Melius se habet, alvum et urinam sanas misit. Augetur in infus. Valerian. acidum Halleri cum scr. j; propinatur dein omni bihorio cochlear vini Rhenani cum decocto albo Sydenh. et pulv. ex caphura.

Die 17 *Novembris.* Frequens delirium, adest nunc exacerbatio matutino tempore, major reactio, pulsus frequens fortior, lingua humida fere tota crustis libera, alvus sana, urina clara. Iisdem pergimus.

Die 18 *Novembris.* Cutis madida, pulsus debilis celer, alvus et urina ut heri.

Vesperi: Pulsus dicrotus, exacerbatio.

Die 19 *Novembris.* Melius se habet, ceterum ut heri. Eadem medicamenta.

Die 20 *Novembris.* Alvum copiosam demisit, redit appetitus, solidioribus jam utitur alimentis. Eadem medicamina.

Die 21—22 *Novembris.* Appetitus viget quotidie alvum deposuit, lingua sana humida, vespertina levis exacerbatio.

Die 23 *Novembris.* Idem se habet, alvum deposuit.

Vesperi: Exacerbatio solita major, queritur de tussi, lingua iterum sicca est.

Die 24 *Novembris.* Exacerbatio per totam duravit noctem, anxius est, siticulosus, lingua sicca rubra, alvum deposuit liquidam, tussis praesertim post assumtam infus. valer.

Vesperi: Viget adhuc febris, quare abstinendum esse judicamus ab infus. Valer. Datur pro potu decoct alb. Sydenh. cum Rob sambuci.

Die 25 *Novembris.* Pulsus adhuc frequens celer, debilis, appetitus deletus, lingua sicca, alvum liquidam deposuit, cutis sicca calida, delirat.

Vesperi: Eodem versatur in statu. Praescribitur iterum valeriana et camphora, ita autem, ut ab illis in exacerbatione abstineatur, porro julapium ex aq. hord. et aceto. Morbus recidivus tribuendus esse videtur usui fructuum pomorum, quos huic aegro familia adtulerat, illos crudos devoravit, immutatosque per alvum dejecit.

Die 26 *Novembris.* Per noctem fuit remissio, nunc autem iterum valde febricitat, delirat, non tamen sopor tantus, qui aderat vigente morbo.

Vesperi. Remittit febris.

Die 27 *Novembris.* Ut heri lingua crusta brunea tecta, ut in vigore morbi fuit, os muco obductum est crasso, tussis, post assumta medicamenta praesertim, quare praescribitur linctus emolliens post medicamenta sumendus. Repetuntur medicamina.

Die 28 *Novembris.* Pulsus valde debilis, aeger valde emaciatus, quod non mirum dum nil fere assumit, roborandum esse videtur; praescribitur decoctum cort. peruv. cum rad. alth. *Vesperi* exacerbatio.

Die 29 *Novembris.* Idem est ejus status, lingua sicca, semper adhuc tussis, minor tamen post linctus usum, semper calor siccus totius corporis. Iter. dec. alb. Syd., decoct. cort. et linctus.

Die 30 *Novembris.* Non bene corticem ferre videtur, sicca manet lingua, et anxius fit; in hoc casu saepe fausto cum eventu cortex, cum magnesia usta praeparatur, praescribitur ergo, infus. cort. per. cum magnesia usta.

Die 1—2 *Decembris.* Simili se habet modo, quotidie alvum deponit, lingua sicca, pulsus au-

tem melior, major reactio. Pro alimento lacticinia commendantur. Iter. medic.

Die 3 *Dec.* Praescripsimus claretum refrigerans ex infus. Rosar. rubr., cum acid. miner., quia semper queritur de siccitate et calore.

Die 4—6 *Dec.* Idem manet status, lingua sicca, appetitus deletus, pulsus debilis, alvus quotidie parce deponitur. Non tamen bene adstringentia, etiamsi lenia, ferre videtur, quare modo nutriens commendamus decoct. alb. Syd.

Die 6—10 *Dec.* Lingua fit humidior, crustae deciduae sunt. Pergimus.

Die 10—20 *Dec.* Quotidie melius se habet, alvus ceteroquin regularis, nunc postremis quinque diebus stricta est, quare clysma applicatur.

Die 20—30 *Dec.* Jam per paucas horas e lecto surgit, viget appetitus, alvus sana est, sed aeger debilis adhuc; utitur interea gelatina lichen. Island. cum syr. cort. aur.

Die 1—20 *Januar.* 1832. Pergimus roborando, post gelatinam lichenis Island. usus est infus. cort. peruv., dein transitum fecimus ad decoctum cort. per. cum lichene Island., quibus per aliquot tempus adhibitis, sanatus Nosocomium reliquit.

In hoc aegro concurrebant omnia, ad morbum nervosum procreandum. Causae praedisponentes enim erant corpus gracile, systema ossium tenue, cutis et s. p.; occasionales, vigiliae protractae. Primis diebus laborabat febre continua catarrhali, ut tunc putabam, brevi autem nata sunt illa symptomata nervosa, factus est morbus cui exacte nomen dare nescio. A febre nervosa catarrhali nimis distat, propter pauca symptomata catarrhalia: a febre nervosa lenta etiam, non erat dolor occipitis, neque sudores topici, attamen cum hac magis convenire videtur: typhus esset dicendus, nisi auctores per typhum intelligerent febrem cum stupore et adynamia et subita virium prostratione, natam ex miasmate Nosocomiali, in multis convenientem cum febre Nosocomiali putridi indolis a Pringlio descriptâ. Typhus est morbus, qui nascitur in Nosocomiis, a magno numero aegrorum, vulnerum suppurantium, et gangraenescentium, quibus exhalationibus miasma formatur, quod vehiculum hydrocarbonium habere videtur, ut probavit Cl. Brugmans. Hicce typhus bellicus dicitur, quia plerumque in bello, post proelia observatur, in Nosocomiis illis plenis, ubi miasmate illo etiam sanissimi, levi vulnere afflicti, afficiuntur et typhosi fiunt. J. F. Akkerman, von der Natur des ansteckenden Typhus, Heidel-

berg 1814, statuit miasma illud formari ab aethere nervoso expanso, hydrocarbonio juncto, volatile reddito? Differentia autem existit inter typhum contagiosum bellicum, a miasmate Nosocomiali natum, et typhum non contagiosum, natum ex debilitato systemate nervoso, et aequilibrio sublato inter systema nervorum et alia systemata, et dum talis typhus est febris stupore et sopore notata, hocce morbo aegrum laborasse credo. In curatione initium fecimus a refrigerantibus, praesertim aceto, quod magnae in typho est utilitatis; non autem ut antisepticum, ut ostendit. Doct. Aroy (over het gebruik van den azijn in den Typhus Amst.) sed ut refrigerans leniter incitans, diaphoreticum. Parrot prof. Dorpatiensis idcirco acetum in typho praestare censet, propter complicationem biliosam. Haec tamen complicatio biliosa in hoc aegro non erat, et rara est, ut monet A. J. Verbeek, in dissertatione de usu aceti interno in typho nervoso contagioso, L. B. 1818, qui chemice acetum agere credit, nempe principio oxygenetico carbonium oxydari et hydrogenium expandi. Quidquid sit egregium praestat usum acetum in typho, et solo hoc remedio aegri typhosi saepe sanantur; quod etiam in nostro aegro fortasse locum habuisset, nisi haberet corpus debile; decimo enim jam morbi die nobis stimulan-

te efficaciore opus erat, ne aeger succumberet, et denique torpore aucto ad magis stimulantia valer., camphor,, adscendimus, quorum ope convaluit: sed usu fructuum crudorum in pristinum incidit stuporem, eâdemque methodo feliciter iterum curatur. Adstringentia non ferre potuit, semper etiamsi post lenia adstringentia sequebatur siccitas oris et linguae, calor cutis universalis, cum respiratione frequenti, et vehementior exacerbatio; sicut denique ad nutrientia modo esset confugiendum, quibus convaluit. Irregularis admodum in hac febre erat exacerbatio, nunc vespertina, nunc matutina, nunc longior, nunc brevior, pulsus valde inaequalis, et decrescente pulsu, increscebat delirium. Regulariter per totum morbi decursum quotidie alvum deposuit parcam, nunc liquidam, nunc fere sanam. Soporem et apathiam quam Doct. Beckers (over den typhus) in omnibus fere suis militibus, typho laborantibus observavit, etiam in nostro aegro observavimus; etiamsi respiratio erat frequens, cutis calida sicca, pulsus frequens parvus debilis, tamen semper quaestioni, quomodo vales, respondet, »het schikt nog al.” Tussis sicca molesta quidem erat, sed indicationi nil mutare potuit, dum erat symptoma accidentale.

Febres intermittentes quartanae.

Mense Novembris et Decembris praeter affectiones catarrhales, ut diarrhaeam catarrhalem, catarrhos pulmonum, et s. p. praecipue observavimus febres intermittentes quartanas. Hae febres quartanae plerumque ortae erant, ex neglecta cura autumnalium intermittentium. In duobus aegris biliosis erant complicatae, dum cutis flavo colore erat tincta, oculi conjunctiva paululum flava, lingua sicca flavo muco obducta, amarities oris, appetitus deletus, alvus stricta. In his egregii erant usus decoctum gram. tamar. cum cremor. tart. vel pulp. cassiae, pulp. tamarind. aliaque acidula eccoprotica, quibus remediis nobis contigit complicatam in simplicem reducere febrem, quo facto ope sulph. quinin, febris sublata est et port usum cortic. peruv. in substantia, perfecte convaluerunt. Caeterae autem sine ulla erant complicatione, quare hae promptum cortic. per. usum requirebant, et quia pertinaces esse solebant post administratam sulph. quinin., statim transitum fecimus ad cort. Peruv. rubrum, cujus prudenti administratione convaluerunt.

Dysphagia.

Hoc tempore tractandum in Nosocomio habuimus senem 60 annorum. Hic per tres annos laboraverat difficili deglutitione, quae quotidie difficilior evadit. Die 30 Octob. nostrum intrat Nosocomium. Valde emaciatus, et cachecticus est, solida ad ventriculum pervenire non possunt, liquida leniter calefacta ingeruntur; locus ubi in oesophago impedimentum est, non longe a ventriculo distat. Diagnosis difficilis est, fortasse a scirrho, fortasse a glandulis vicinis tumentibus; praescribuntur pilulae ex extr. cicut. et merc. dulc., et commendantur juscula carnium. Admodum dubia est prognosis, per tres annos malo jam laboravit, multos medicos jam consuluit, multisque usus est medicamentis. Hacce methodo per quatuor hebdomades pergit, quotidie alimenta propinantur mucilaginosa nutrientia, sed eodem in statu manet, liquida facilius quam antea deglutit, admodum debilis et emaciatus est, cum pulsu debili; alvum quotidie fere deponit plerumque liquidam. Ultimis diebus Mensis Novembris febre corripitur intermittente quotid., quae post aliquot dies ope sulph. quinin. sublata est. Queritur nonnumquam de subitanea anxietate.

Die 1 *Decembris.* Matutino tempore subito anxietate corripitur, immobilis jacet, mutatur faciei color, quae pallidissima fit, marginibus caeruleis circa oculos, oculi obfuscati, os semi apertum, ex quo exhalatur odor cadaverosus ingratus, respiratio quamvis rara, pergit, pulsus nullus: nos adstantes, aegrum morientem, denique mortuum, credimus, sed redit sensim sensimque pulsus, oculi clari fiunt, disparet color pallidus cadaverosus, sensus organa iterum agunt, quaestionibus debili voce respondet, vidit et s. p. et vivit ut antea. Sed admodum debilis factus est, quare modo nutrientia commendantur ut decoct. alb. Sydenh.

Mense Decembris quotidie fere rediebant illi insultus asphyctici, apparet tunc mortuus, exhalatur odor foetidissimus, et sponte faeces et urina dejiciuntur, abest sensus et motus, sed post aliquot tempus tamen ad vitam quasi redit. Non utitur nisi decocto. Alb. Syd.

Mense Januarii melius se habebat, notabile erat illum post primum illum insultum, solida aeque ac liquida bene deglutire posse, nunc etiam alimento quocumque utitur, praescribimus corticem peruv. et lich. Island., sed probavit eventus haec non bene ferri, quare modo decoct. alb. Syd. continuo adhibetur.

Mense Februarii pejus se habet admodum hecticus fit et singularem repraesentat figuram, dum ita emaciatus est, ut ejus caput cranium modo cuti tectum referat, caput praeterea nudum, capillis orbatum est, propter pediculorum legionem, nihilominus miser ille senex arrogantiae plenus est et etiamsi semimortuus, doctis verbis narranda tradit. Tandem autem die 3 Martii hectice mortuus est. Cadaveris sectione patuit adesse carcinoma exulcerans in parte cardiaca oesophagi. Videtur porro dysphagia primo orta esse a scirrhosa cardia, quae tumens et dura, alimentorum impedivit transitum. Tandem autem tumor scirrhosus inflammatus, ruptus et mutatus est in ulcus carcinomatosum, quo spatium majus factum est ad transitum alimentorum: haec ergo ratio esse videtur, quare post hanc eruptionem solida deglutire potuerit. Eruptione hujus tumoris scirrhosi etiam explicatur odor ille ingratus; quare autem subito asphyxia saepius de die redeunte corripiatur, non explicare ausus sum. Fortasse ab ichore rodente nervos intestinorum afficiente; sed quare tunc redeat per intervalla, dum supponendum est ichorem semper plorari, nescire me confiteor.

Alteram quam observavimus dysphagiam erat in sene 61 annorum, qui in provecto morbi sta-

dio ad nos venit, jam valde debilis erat, et nulla, nisi palliativa instituenda erat medela. Post sex hebdomades hectice mortuus est: cadaveris sectione invenimus ulcus acrem humorem serosum plorans, in media oesophagi parte.

Inflammationes.

Hac hyeme frustra frequentes exspectavimus inflammationes, hyems enim mitis fuit et corpora Leidensia in genere ad morbos sthenicos fere inepta sunt. Leidensium nempe illa classis, quae auxilium in Nosocomio petit vitam ducit sedentariam, domi munera sua perficiunt, praecipue illi qui dicuntur *greinwevers*, a lecto mane serpunt ad sellam textoriam, atque vesperi per eandem viam iterum cubitum eunt, vel si domum relinquunt, fere semper ebrii redeunt: adimplent praeterea corpora potionibus tepidis, infusionibus coffeae. Alimenta sunt praesertim solanorum tubera; carne non vescuntur, nam etiamsi non desit pecunia, tamen malunt hanc adhibere ad largum spiritus frumenti usum, sed pisces fere corruptos qui saepe parvi sunt pretii, pro deliciis habent. Ex his facile intelligitur in corporibus, tali vivendi genere et victu, cachecticis et scrofulosis, inflammationes puras raras esse. Tres modo

inflammationes veras hac hyeme observavimus, quarum prima erat in operario, qui munera sua rure peragebat, altera in rustico, tertia in peregrino.

Primus ille operarius 55 annorum, ante aliquot dies catarrho afficitur; dolorem habet pectoris, tamen duro labore munera sua perficere pergit, tandemque dolore pectoris afficitur intenso et febre, medicum consulit. V. S. instituitur die 15 et 17 Januar. ad unc. xij; emollientia praescribuntur.

Die 18 *Januar.* In Nosocomium L. B. susceptus est, ae rumque primo vidimus. Est vir robustus duro labore firmatus, temperamenti sanguinei. Rubent facies, oculi, calet universum corpus, respiratio frequens difficilis, febris continua, dolor pectoris obtusus tussi auctus, sensus impotentiae, anxietas, pulsus frequens mollis debilis, lingua nares et fauces interne siccae, exanthema circa os et nasum, ad digitos et manus, sitis magna, alvum deposuit liquidam mucosam, nondum sputa critica prodeunt, sed mucus tenuis bronchialis. Medicamen diluens emolliens jam propinatum repetitur. Sanguis heri missus tenuem habet crustam inflammatoriam.

Vesperi hora 8. Exacerbatio: pulsus magis citatus subdurus, cutis madida, prodeunt sputa criticis similiora, quare venam secare non ausi su-

mus, praeterea maxime abhorret a venae sectione, quia a V. S. extra Nosocomium instituta, brachium sinistrum paralyticum factum est et valde dolet, sicut nisi intenso dolore e situ moveatur, quare precatur ne sibi V. S. instituerctur: nobis tamen proposuimus nocte aegrum visitare, ut videremus an V. S. necessaria esset nec ne.

Nocte hora 12. Pulsus magis sedatus, mollis, magno conamine sputa ejicit, quae crassiora sunt, post sputum ejectum levamen percipit, et saepius in somnum incidit.

Die 19 *Jan.* Respiratio crebra stertorosa, sputa non amplius ejicit, sputa ejecta examine patent non critica et pejoris habitus esse, quam nocte credidimus, pulsus frequens debilis, anxietas, dolor pectoris, alvus liquida, urina cum sedimento albo crasso: ad promovendam expectorationem, et vires excitandas praescribuntur pulv. ex sulph. aur. antim. et caphur. āā gr. vj, pro potu aqua hord. cum vino albo, derivandi fine emplastra canthar. ad pectus applicantur: inspirantur porro vapores humidi ex infus. flor. samb. cum aceto calido.

Vesperi. Pulsus mollis frequentior, anxietas, respiratio stertorosa, tussis minor.

Die 20 *Jan.* Continuo anxius est, respiratio stertorosa adhuc, sputa nocte ejecit tenuia mu-

cosa, nunc autem plane cessavit excretio, pulsus multo minor, et debilior est, praescribimus pulveres ex Mercur. Dulc. gr. vj, cum opii gr. iv. Vesicans applicatum epidermidem non affecit, quare vesicantia duplâ magnitudine applicamus, sinapismis tecta.

Vesperi hora 8. Sopor adest, respiratio frequentior parva, suspensa per intervalla, stertorosa, deglutionis impotentia, et si ingeratur medicamen suffocationis symptomata, facies collapsa, hippocratica, oculi obfuscati, animi absentia, pulsus debilis parvus intermittens, sudor copiosus praecipue capitis. Per longa intervalla silet respiratio, tandemque frustra attenditur, pulsus debilissimus adhuc tangitur, sensim sensimque decrescit, non amplius sentitur, et moritur aeger.

Cadaveris sectio instituta est. Habitus cadaveris externus talis erat, qualis morbo acuto defuncto proprius est, facies collapsa colore caeruleo rubro tincta, corpus non emaciatum, musculosum. Pulmones pleurae adhaerebant, pulmo dexter totus hepatisatus, durus erat et volumine auctus; sinister mollis admodum factus, pro parte humore seroso impregnatus erat, dum ex incisionibus in parenchymate factis, serum spumans effluebat. Cetera intestina sana. Ventriculus cordis dexter sanguine coagulato repletus.

Aeger ille erat vir robustus rudis, qui fere numquam aegrotaverat; peripneumonia affectus primo medicum consulere noluit et sexto demum die, ubi dolore intenso et anxietate auxilium petere cogitur, medicum vocat, ut postea mihi narravit familia. Morbus igitur jam protractus et dubiae prognosis erat.

Nihilominus nimiam fidem habuimus in crisi secutura per sputa, et verebamur ne venae sectione crisin turbaremus, dum patet a posteriori crisin non secutam esse. Mercurium opio junctum dedimus, ut facilius lympha plastica in pulmonum parenchymate effusa, absorberetur. Monendum autem est morbum, praecipue jam ante adventum in Nosocomium neglectum fuisse; pulmo enim dexter, hepate ipso durior, et in massam aequalem totus mutatus erat, dum vix credendum est pulmones duorum dierum spatio tantopere mutatos esse. Hanc peripneumoniam, etiamsi infausto eventu tractatam, reticere nolui, quia in hac historia infaustae aeque ac felices curationes sunt tradendae.

Altera peripneumonia in sene 68 annorum, feliciter venae sectione et regimine antiphlogistico sanata est.

Pleuritidem observavimus in rustico 26 annorum, etiam apparatu antiphlogistico sanatam. Erat au-

tem pleuropneumonia dicenda, nam pulmones ab inflammatione non omnino liberos fuisse patuit, ex copiosis sputis mucosis, dein purulentis, quae sputa critica, a nobis promovebantur, expectorantibus ut v. g. sulph. aur. antim., et brevi convaluit aeger.

Altera pleuritis erat in peregrino quodam 54 annorum, habitu corporis musculoso, robusto, temperamento sanguineo, cholerico. De vehementi lateris dolore queritur, continuo febricitat, os siccum, lingua sicca crusta crassa obsessa, pulsus frequens, subdurus. Sapor oris ingratus, abdomen durum erat. Venae Sectiones instituuntur, et interne eccoprotica et purgantia antiphlogistica propinantur, quia aderat complicatio gastrica. Cessat dolor post tres dies, neque redit, jam e lecto surgit, sed nocte quarti diei inopinate mortuus invenitur. Instituta est cadaveris sectio, pulmones reperti sunt pro parte hepatisati.

Haemoptoë.

Mense Martii et Aprilis haemoptoën observavimus; et primo quidem in puella 24 annorum, bono corporis habitu, plethorica, facie rubente, quae post neglectum catarrhum pulmonum, haemoptoë afficitur. Quotidie nunc cum sensu ardo-

ris in pectore, et sapore oris dulci, sputa multa ejicit mucosa sanguinolenta, praeterea omnia fere vomitu rejicit, menses sunt suppressae, pulsus plenus frequens, vespere febrilis. Instituuntur durante morbo parcae venae sectiones; interne demulcentia, sedantia dantur, vel etiam ad vomitum coërcendum, minuendum, mixtura Riverii, quam felici cum eventu adhibuimus, etiamsi vomitus esset non a debilitate, sed sympathicus. Tempore menstruationis solito, venae sectionem ad pedem instituimus, adhibitis simul pediluviis, et quia systema vasculorum debito citatius erat, bono cum effectu digit. purpur. adhibuimus. Sub hac cura sensim sensimque sputa pura fiunt, non sanguine mixta, sputa sunt mucosa alba, minuitur dein sputorum excretio, et sub continuo usu demulcentium, perfecte convaluit spatio 4 hebdomadum.

Exitus haemoptoës pejor erat in puella 18 annorum; post catarrhum etiam haemoptoë afficitur, est autem habitus gracilis phthisicus, sterno applanato, colore faciei distincte rubente; nata est ex parentibus phthisicis, et phthisi ipsa defunctis. Demulcentibus variis, venae sectionibus, digitali purp., antispasmodicis et expectorantibus, ab haemoptoë sanata est, sed in phthisin delabitur et hodie jam febre hectica corpus depascitur.

In auriga denique 40 annorum fausto eventu

haemoptoën curavimus. Ante octo annos a terrore subitaneo haemoptoë afficitur valida, decies spatio sex dierum haemorrhagiam sanguinis rubri spumentis satis largam ex pulmonibus patitur, exinde autem Venae Sectionibus et demulcentibus sanatur; postea autem omni biennio haemoptoë laboravit. Nunc iterum haemoptoicus Nosocomium intrat *die* 8 *Maji.* Est vir sanguinei temperamenti, corpore pleno, statura magna, colore faciei rubro, oculi sunt clari caerulei, paululum rubentes; pulsus hodie est aequalis, sanus, tussin patitur et sputa ejicit sanguinolenta. Praescribitur decoct. alth. cum syr. Rhaead. potulenta demulcentia sed frigida, pediluvium adhibetur, et V. S. instituitur, situs erectus commendatur.

Die 9 *Maji.* Sputa sanguinolenta mucosa, pulsus aequalis, appetitus bonus, pectoris dolor minor est, queritur de vertigine quare parca V. S. instituitur, alvum non deposuit, additur decocto alth. manna.

Die 10 *Maji.* Sputa minus sunt sanguinolenta, pulsus paululum contractus, alvum postremis diebus non deposuit: praescribitur eccoproticum et decoct. alth.

Die 11 *Maji.* Idem se habet ejus status; alvum non deposuit, sputa ut heri, neque copiosa; clysma applicatur et iteratur decoct. alth.

Die 12 *Maji*. Alvum parce deposuit, sapor oris est ingratus, appetitus deletus, sputa minus sanguinolenta, praescribitur decoct. alth. cum electuar. lenit.

Die 13—20 *Maji.* Alvum copiose deposuit post usum electuarii lenit., alvus nunc regularis est, appetitus bonus; sputa quotidie minus colorata fuere, et nunc alba mucosa sunt, in demulcentibus pergit et sanatus Nosocomium reliquit.

Phthisis.

Est morbus in nostris regionibus frequens, qui quotannis multos necat homines, praesertim juvenes. In plerisque phthisicis quos tractandos habuimus, infaustus fuit eventus, quia fere non nisi in stadio morbi valde provecto in Nosocomium veniunt; hoc in casu medela nostra est palliativa, demulcens anodyna, nam, si processus ille pathologicus in pulmonibus tantam attigerit altitudinem, revera non multum expectamus, in genere saltem, a venenis metallicis, quamvis hodie adhuc a celebri nostrae patriae medico maxime in phthisi laudatis. Sic saccharum Saturni ob proprietates venenatas, colicas proferentes, raro tuto datur in phthisi, etiamsi minimis dosibus. Exemplum in Nosocomio hoc anno vidimus. Vir 54 annorum

die 30 Octob. in Nosocomium suscipitur, post praegressam ante aliquot annos haemoptoën, phthisicus factus est, et in secundo stadio morbi ad nos venit. Aeger jam emaciatus est atque tussi molesta quotidie sputa copiosa ejicit; propinantur pulveres ex extr. hyosc. et rad. ipecac. et quia valde debilis est, propinatur nutriens, demulcens anodynum, gelat. lichen. Isl., mucilag. gum. arab. et syr. pap. alb., et aliquo tempore post, pulv. ex sem. phelland. aq.

Die 7 *Novembris.* Sputa copiosa purulenta, nunc sanguine atro carbonisato mixta sunt, quare hic praecipue locus esse videbatur usui sacchari Saturn., ut vi adstringente vasculis laxis pulmonum tonus daretur, et secretio illa abnormis modificaretur, praescripsimus ergo acetat. plumbi gr. ij. extr. opii aq. gr. iij. in duodecim pulveribus, bis de die pulv., sicut quotidie $\frac{1}{3}$ gr. assumeret. Primis diebus excretio sputorum purulentorum minor erat, sed aliquot dies post sequitur colica saturnina, quae ita pertinax erat, ut contra hanc dein per totum morbi decursum praecipue medela esset facienda. Colica illa sanabatur demulcentibus opio junctis, vel clysmatibus ex amylo cum laud. liq. Sydenh., sed saepius redibat, iterumque sanabatur, aut colicam sanatam obstipatio alvina sequebatur. Mense Februario periit. Ante duos an-

nos in Nosocomio, et saepius extra Nosocomium tales noxios vidi effectus ab hoc remedio. In genere statuendum est, phthisicos provecto morbi stadio, non talibus torquendos esse remediis; exempla exstant ubi in casibus desperatis aegri sanati sunt, diaeta nutriente lactea, ut lacte humano; et ubi sanatio fieri potest, unicam spem esse in nutriendo corpore mihi videtur et in illis medicamentis, singulae diathesi indicatis, e. c. in diathesi scrofulosa, antiscrofulosa ut pulv. Plummeri, cicuta et s. p.

Faustioris eventus nostra cura fuit phthiseos tuberculosae in viro 31 annorum. Erat ille phthisicus jam in secundo morbi stadio, emaciatus, debilis, cito defatigatus, minimo motu dyspnaea affectus, tussin patitur cum excretione mucosa primo, dein paululum purulenta, pulsus plurime debilis frequens, sudores nocturni. Per longum tempus in nostro adfuit Nosocomio: primo tempore usus est demulcentibus nutrientibus; deinde propter habitum scrofulosum, et pulmonum irritabilitatem, nam inspirationem magnam semper tussis sequitur, praescribitur pulv. ex extr. cicutae, simul cum nutrientibus demulcentibus anodynis, ut decoct. alb. Syd., linctus ex mucil. g. arab. cum syr. pap. alb., emuls. amygdal. et s. p.:

deinde per longum tempus egregio effectu usus est mixtura sequente;

℞ Extr. cicut. dr. β.
Aq. Laurocer. unc. j.
M. D. S. 20—40 guttul. de die.

Simul autem dictis nutrientibus utebatur, sensim sensimque minor facta est sputorum excretio, quae primo adhuc purulenta, dein mucosa facta est, non amplius sudores nocturni aderant, fortiorem se sentire incipiebat, et quamvis post sex menses demum ab introitu in Nosocomium sanatio obtinuit, attamen recuperata sanitate Nosocomium reliquit.

Hoc fere tempore notabilis erat aeger, laborans torpori in omnibus fere functionibus. Vir erat 42 annorum strenuus antea potator: torpent omnes fere functiones, circulatio tarda, pulsus tangitur rarus tardus, alvus tarda, obstructiones alvinae frequentes, urinae incontinentia aut urinae missionis impotentia; si supra ossa pubis vesica premitur, urina ejicitur, semen simul cum urina effluit, lente loquitur, torpent et sensus organa, stupor pedum, brevi torpet totum corpus. Incitantibus variis usus est majori minorive effectu: primo infus. flor. Arnicae cum spir. cornu c., dein fol. uvae ursi, spir. thereb., tinctura canthar.

et s. p. conceditur usus modicus spiritus frumenti cui aeger valde assuetus est, vesicantia ampla ad spinam dorsi applicantur. Non multum autem his remediis profecimus, et feriis Paschalibus incipientibus Nosocomium insanatus reliquit. Causa hujus mali nobis plane incognita fuit, fortasse a nimio spirituosorum usu, fortasse a nimio coitu.

Hysterica passio.

Mense Februario tractandam habuimus puellam hystericam 20 annorum. Est illa rustica, temperamenti biliosi, pleno corporis habitu, pulsu contracto debili. Laboravit ex hoc morbo diversis aliis ut ictero spastico, colica, tympanitide, qua in eo fuit ut a chirurgo rustico paracentesis abdominalis institueretur, qui credidit adesse ascitidem; quod minime, dum mane abdomen non tumidum erat, ut nobis narravit, sed praesertim vesperi, ubi abdomen ad insolitam magnitudinem ut gravidae nono graviditatis mense intumescebat. Nunc quotidie afficitur insultibus illis hystericis, quasi epilepticis, vespere anxietatibus vexatur, dolore afficitur abdominis, et abdomen ipsum tumet. Cum terrore saepe e somno evigilatur. Queritur de obice, vel globo in faucibus, et etiam ventriculo, qui ex abdomine adscendit, porro de sen-

su ingrato, quasi aqua frigida a capite ad pedes juxta spinam dorsalem flueret, et de aliis symptomatibus nervosis. Menstrua regularia et copiosa sunt. Adhibuimus primo asam foet. quam autem non tulit aegra, anxietates augebantur hocce remedio: administravimus dein pulv. ex flor. zinci, quibus per aliquod tempus adhibitis, bonos quodammodo vidimus effectus, insultus, anxietas minores erant, hilaritas revertens, appetitus, ceteroquin deletus, sanus fiebat, sed morbum tamen sanare non potuimus. Post aliquod hebdomades autem febre corripitur intermittente quotidiana, statim silent insultus hysterici, quare hanc febrem sibi relinquendam, et passivam medelam adhibendam esse credimus: per novem dies jam febrem passa est, neque redit hysteria, adhibitae sunt mixturae resolventes, refrigerantes, ut decoct. gram. tamar., etiam leniter diaphoreticae. Dum autem febris in continuitatem vergebat, illam tollendam esse, censuimus. Praescribuntur pulv. ex sulph. quin. gr. xxiv, quibus adhibitis, post secundum paroxismum febris sublata est; transitum fecimus dein ad cort. per. in decocto. Post aliquod dies iterum febris revertit, nulla est nunc complicatio, quare iterum, sed promptiore usu sulph. Quin. febris tollitur, silet febris et hysterica passio, et post aliquod hebdomades sub usu

continuo cort. per. convaluit, et ab hysterica possione, aeque ac a febre sanata Nosocomio exiit. Huic casui convenit Hippocratis effatum. „A convulsione aut tetano detento, febris superveniens solvit morbum." (Hippocr. Aphor. Sect. IV. Aph. 57.)

Febres intermittentes vernales.

Mense Aprilis et Maji multis regnantibus morbis, etiam febres intermittentes in Nosocomio observavimus. Notabile est hoc tempore intestina praesertim affici, et frequentes, fere unicos morbos esse, vomitus, diarrhaeas, colicas saburrales, alias, choleras et s. p., febres intermittentes etiam gastricas, quod secus non ita, nam vernales plurime catarrhales esse solent: morbi denique non erant in ratione tempestatis, non enim calida erat tempestas, sed contra, humida frigida, vel sicca cum vento Euro et Borea. In Nosocomio ipso non magnum febricitantium numerum habuimus, sed praesertim illas febres observare potui extra Nosocomium, ubi tunc temporis multos febricitantes curandos habui. Plurimae quotidiani erant typi, ceterae tertianae, rarae quartanae et erraticae. Sequentia symptomata in plerisque aegris advenientibus annotavimus. Facies plerumque pallida paululum flava, oculi lan-

guidi, habitus laxus, lingua sicca muco crasso obsessa, sapor oris ingratus, amarus, vomituritio nonnumquam, appetitus deletus, alvus stricta, abdomen tumidum durum, pulsus frequens etiam in apyrexia quodammodo incitatus, in nonnullis exanthema ad labia oris.

Decursus paroxysmi ipsius cum horroribus erat in primo stadio validis, saepe longis, praesertim de dolore dorsi et lumborum querebantur et post paroxysmum rigidi saepe erant artus extremi. Stadium caloris breve erat cum siti magna, anxietate, et congestionibus ad caput, sed tamen maxime diversum in diversis aegris, sic etiam in stadio sudoris in nonnullis sudores largi, in aliis et plerisque quidem parci erant.

Paroxysmus totus in aliis terminabatur sex fere horis, in aliis duodecim et pluribus. Febres ipsae facile in hydropem transibant, saepe durante febre pedes jam oedematosi fiebant, et varios aegros tractavimus hydropicos a praegressa febre intermittente. Medela nostra plerumque primo fuit antigastrica: administravimus purgantia, in phlegmaticis fortiora, in biliosis, cholericis acidula, ut v. g. decoct. gram. tamar. cum sulph. sod. salia media et s. p.: hisce alvus promovebatur, materiesque saburrales expellebantur, lingua purior fiebat, et appetitus sanus restituebatur, dein trans-

itum fecimus ad resolventia, ut mixturas, ex extr. gram., tarax., tart. emet. refracta dosi et similibus: his autem remediis febrem admodum pertinacem vincere non potuimus, nisi in duobus casibus: in viro nempe 39 annorum biliosi habitus, febris intermittens gastrica, dictis symptomatibus notata paucis diebus evanuit, post usum decoct. gram. tamar. cum sulph. sodae, aliis eccoproticis acidulis, et denique amaris brevi convaluit aeger: etiam in puella quadam 22 annorum usu resolventium febris siluit. Caeterum tamen ad corticem Peruv. semper erat confugiendum, nam raro sponte evanuere, et post febrem complicatam simplicem factam, ope sulph. Quinin. tollenda erat febris, et prompto corticis per. diversis formulis usu, sanabantur: diu autem cortex erat adhibendus, quia facile recidivus fiebat morbus. Hinc illinc in hac urbe febres illae sub larva alius morbi prodibant; ipse autem nullam larvatam hoc tempore observavi, sed autumno praegresso intermittentem sub larva cholerae tractandam habui, et quamvis hujus proprie non est loci, quia non fuit in Nosocomio, tamen liceat mihi, quia non ita frequens est, hujus historiam commemorare.

Febris intermittens sub larva cholerae.

Rusticus quidam, annos 32 circiter natus, maritus, habitu phthisico, et phthisi ipsa laborans a duobus jam inde annis, die 17 Novembris 1831 regnantibus hoc tempore intermittentibus, remittentibus, gastrico-catarrhalibus, hora meridiana derepente corripitur horrore ac frigore brevi, quibus mox insequuntur cephalalgia, nausea, vomitus et diarrhaea, cum sputorum solitae excretionis suppressione repentina. Praescribitur solutio pulveris gummosi cum carbonate Magnesiae.

Die 18 *Novembris.* Mane hora 8. Apyrexia, facies collapsa, Hippocraticae non dissimilis, lingua aphtosa, parum humida; sitis modica, appetitus nullus; alvus nulla, tussis nulla neque sputorum excretio; respiratio cum anxietate quadam peracta; pulsus lentus debilis, languor, apathia.

Hora 10. Redeunt omnia pridie observata symptomata, eodem ordine, ac majori vehementia notata. Alvus enim liquida fere continua; anxietas et lassitudo summa. Hicce paroxysmus in longam noctem protrahitur. Ineunte nocte tamen cum sudor erat profusus, symptomata paululum minui incipiunt. Aegro porrigitur omni semihora gr. j sulphatis Quinin. cum pulvere gummoso.

Die 19 *Novemb.* Post noctem inquietam et insomnem paroxysmus qui jam solutus erat, non rediit. Eadem remedia.

Die 20 *Novemb.* Rediit sputorum excretio. Lingua rubra, aphtis deciduis. Eadem remedia, quibus per 14 dies pergit, simul adhibitis mucilaginosis, post quod tempus perfecte convaluit.

In his larvatis difficilis saepe est diagnosis; cognoscuntur praesertim ex apyrexia, tempore a morbo libero, nam si febris larvata non fuerit, non tam cito post choleram, aut apoplexiam aegri bene se haberent; dein ex constitutione epidemica, regnantes v. g. intermittentes suspicionem larvae valde augent, certa denique fit diagnosis a periodica reversione, quod tamen signum non semper tuto exspectatur, quia in intermittente sub larva cholerae, aut apoplexiae tertius paroxismus plerumque lethalis est. Diagnosis facta maxime probatur, si usu sulphat. Quinin. morbus silet. Sub variis larvis intermittens prodire potest, ut v. g. sub larva cholerae, apoplexiae, colicae, cephalalgiae, ophtalmiae, odontalgiae et s. p. nullibi autem exemplum memoratum inveni, intermittentis sub larva ischuriae aut stranguriae, qua ipse laboravi, breviter ideo hanc commemorandam esse putavi.

Intermittens sub larva Ischuriae.

Regnante anno 1826 Epidemia Groningana, etiam in diversis hujus regionis pagis grassabantur febres intermittentes malignae indolis, praesertim in illis pagis qui prope terras aggeribus circumdatas (droogmakerijen) siti sunt. Hoc tempore in tali pago (Hazerswoude) febre illa arripiebar, quae praecipue peculiaris erat a diuturna sequente debilitate et recidivis. Post sex hebdomades, iterum febre intermittente afficiebar, quae deinde quinquies recidiva, quinquies etiam sublata fuit. Vix ab ultima recidiva, sanatus, mense Februario anni 1827 subito laborare coepi odontalgia, remittente, quae matutino tempore hora circiter nona incipiebat, cessabatque hora tertia post meridiem. Quum per duos jam dies hunc dolorem passus eram, credidi esse a dente molari carioso in maxilla superiore et extractione dolorem sublatum iri. Post extractionem dentis cariosi dolores manebant continui sine ulla remissione, per duos dies sequentes iisdem doloribus vexatus, nocte tertia tandem quiescebam et dolor sequente die matutino tempore evanuit: hora secunda post meridiem post urinae missionem dolorem percipiebam in urethra, qui sensim sensim-

que augebatur, et dein ad vesicam se extendebat, tuncque vehemens erat, quasi vesica spasmo contraheretur: continua mingendi necessitas, cum dolore insigni, urinae missio fere impedita, guttatim effluebat et in vase collecta mixta erat membranulis et striis sanguineis, rete formantibus, ingravescebant symptomata usque ad horam quintam, ubi decrescebant et hora septima post urinae missionem restitutam, et urinam missam crassam, sanguine coagulato mixtam, placidus sequebatur somnus. Ut medicamen administrabatur emuls. Amygd. et extus applicabantur cataplasmata emollientia.

Altero die hora secunda post meridiem rediit paroxysmus iisdem symptomatibus, quod et tertio die, post quam paroxysmum autem Medicus qui me curandum habebat, cogitabat de febre larvata et sulph. quinin. propinabat, ita ut ante quartum paroxysmum usus essem scrupulo j; non rediit stranguria, urina subito clara pura fiebat, et sub usu corticis denique perfecte convalui.

Hydrops.

Hisce diebus hydropicum fausto cum eventu curandum habuimus, quare de hoc morbo ultimo loco mentio est facienda. Senex annos 67 circi-

ter natus, post febrem intermittentem fit hydropicus. Die 7 Maji Nosocomium intrat, est ille validi satis habitus, tumet abdomen ascitide, scrotum penes et membra inferiora valde oedematosa sunt. Indurationes nullae inveniuntur, appetitus bonus, lingua paucillum obsessa, sitis magna, alvus regularis est, urinam parce mittit, pulsus debilis est. Ut medicamen aegro administratur decoct. cort. per.

Die 8 *Maji.* Urinam parce misit cum sedimento mucoso, sitis, oedema auctum, tussis molesta; additur decocto cort. per. cremor. tart. dr. ij, rob. juniper. unc. j.

Die 9. Copiosam misit urinam et melius se habet, sitis minor, pedes oedematosi primo rubentes ut levi eresypelate affecti, deinde per parvas aperturas in cute, magnam exsudant seri copiam, quam sequitur oedema minor pedum. Queritur autem de tussi, quam fortasse ab hydrothorace esse credimus. Eadem medicamina.

Die 10. Magna ex pedibus effluit seri copia, urinam copiosam misit.

Die 11—15. Non amplius ex pedibus serum effluit, exanthema exsiccat, et epidermis desquamatur: urinae secretio bona, magnam quotidie urinae copiam mittit, iisdem remediis denique per 14 dies adhibitis totum disparuit pedum et femo-

rum oedema, et ascitis, atque sanatus aeger Nosocomium reliquit.

Simplicibus igitur medicamentis brevi temporis spatio, hunc sanavimus hydropem, in quo cortex per. idcirco praecipue erat indicatus, quia post febrem intermittentem ortus erat. Saepe autem in hydrope post intermittentem non sufficit solus cortex peruv., quod vidimus in puella 14 annos nata, quae post febrem quartanam hydropica facta, Mense Martio in Nosocomium suscepta est. Per longum tempus adhibuimus corticem per. diureticis junctum, variabili cum effectu, semper accrescente abdomine; tandem instituta est paracentesis abdominalis, post quam iterum roborantia diureticis juncta propinata sunt: post 14 dies iterum propter plenum abdomen instituitur paracentesis: serum erat purum, non coloratum, nullae indurationes erant inveniendae. Adhibitis postea variis diureticis, tamen iterum serum in abdomine accumulatur, dedimus denique gumm. gutt., quo urinae secretio ita aucta est, ut abdomen nunc sit applanatnm et omne oedema his diebus evanuerit, hodie autem adhuc in Nosocomio curatur. Caeteros hydropicos post intermittentes feliciter cortice Per. sanavimus.

MORBI INFANTUM.

NOMINA MORBORUM.	Numerus.	Sanati.	Non sanati.	Mortui.	Adhuc curantur.	ANIMADVERTENDA.
Peripneumonia .	1	1				Hirudinibus ad pectus et emollientibus sanata.
Eresypelas faciei.	1	1				In puero cum pleno corporis habitu, abdomine turgente, decoct. gram. tamar. curato.
Febres interm. quot tert. gastr. verm. etc. . . .	25	18			7	
Conjunctiv. scrof.	1	1				Intus pulv. Plummeri, extus vesicans in nucha, collyrium anodynum emolliens.
Asthma spasmod.	1	1				Fausto eventu adhibiti sunt flores zinci.
Tussis quinta . .	7	6		1		Plerumque administravimus Ipecac. refracta dosi, in puella autem septem annorum, plethorica, haemoptoica V. S. instituta est, et interne refrigerantia data sunt.
— cum atrophia	2			2		
— catarrhalis . .	4	4				
Convulsiones . .	1	1				A causa verminosa.
	43	33		3	7	

NOMINA MORBORUM.	Numerus.	Sanati.	Non sanati.	Mortui.	Adhuc curantur.	ANIMADVERTENDA.
Transp.	43	33		3	7	
Acor. primar. viar.	1	1				
Diarrhaea	1	1				
Obstructio alvi .	2	2				
Dolores colici. .	3	2		1		
Scrophula Mesent.	7	3	2	2	1	Plerumque pulv. Plummeri aut amara data sunt.
Atrophia	3					Verosimiliter mortui.
Rhachitis	4	2			2	Ol. Jecor. Aselli.
Tumores scroful.	2	2				Pulveres Plummeri.
Epilepsia	1				1	Ipecac. refr. dosi.
Cephalalgia nerv.	1				1	
Stomacace scorb.	4	3			1	Amara resolventia plerumque.
Morbus maculos.	1	1				
Tinea capitis . .	4	2			2	Fonticulus in nucha decoctum Jaceae.
Crusta lactea . .	2	1			1	
Porrigo larvalis .	2					Non redierunt.
	81	53	2	6	16	

Ex infantum aegrotantium numero, pauci morbi notabiles sunt, neque etiam magnus numerus fuit, ut patet ex tabella, breviter ergo de his dicendum erit Mense Novembris nonnullos tusse quinta laborantes curavimus, praecipue adhibuimus Ipecac. refracta dosi cum extr. hyosc. bono cum eventu, et si debiles erant cum gelat. lich. Island. Mense Martii multas inter infantes observarimus febres intermittentes, quae plurime fugabantur amaris, aut cort. per. quia multae erant simplices, nonnullae autem erant gastricae in quibus primo eccoprotica, purgantia administravimus et amaris curae finem imposuimus. Unicus autem casus est memorandus.

Die 19 *Martii* in Nosocomio auxilium nostrum petit mater cum puella sex annos nata, quam laborare narrat febre intermittente quot. Hocce momento febricitat puella, pulsus frequens contractus, lingua albo muco tecta, alvus irregularis est: credimus esse febrem interm., quae frequentes hoc tempore erant inter infantes et facile amaris fugabantur; praescripsimus ergo mixturam resolv. amaram cum rheo. Nobis autem proposuimus quotidie domi puellam visitare, ut constet de febris indole.

Die 10 *Martii.* Narrat mater puellam ante hebdomadem, per quod tempus jam aegrotaverat,

perfecte sanam, bene nutritam, hilarem fuisse. Nunc autem febricitat et examine patet non esse febrem interm. sed subcontinuam; facies pallida, oculi tristes, pupilla dilatata, dicit se omnia quasi nebulis circumdata conspicere, nullam tamen examine obfuscationem vidi, lingua crusta alba erat tecta, appetitus nunc nullus, nunc fame canina non dissimilis, abdomen tumidum, durum, dolores ventris circa umbilicum, alvus parca mucosa, sanguine mixta, per intervalla convulsiones vehementes; porro tristis est et continuo lacrymas fundit praeter rationem quamcumque. Nobis suspicio vermium exoritur et puellae administravimus electuarium anthelmint. ex pulv. sem. santon. cum syr. aur.

Die 11 *Martii.* Eodem versatur in statu, alvus manet mucosa, febris perdurat, nocte fuit remissio, convulsiones, lacrymae involuntariae, mobilitas oculorum quaedam et s. p., continuo observantur, non autem vermes sunt dejecti. Semper queritur de dolore circa umbilicum, quare ad hunc locum inunguendum datur ol. Petrae. Idem electuarium.

Die 12 *Martii* Remittit febris, dolor minuit, per alvum longum emisit lumbricum. Eadem medicamina addito rheo.

Die 13. Convulsiones non redeunt, oculi non

amplius obfuscati, neque mobiles ita, lingua purior, appetitus magis aequalis, plerumque deletus, semper autem adhuc lacrymatur. Alvo dejecit tres lumbricos permagnos. Iterantur medicamina.

Die 14. Per alvum magnam lumbricorum copiam dejecit numerum viginti superantem, sistunt omnia fere symptomata enumerata. Iisdem pergimus.

Die 15—16. E lecto jam surgit, rediit faciei color et hilaris est ut ante morbum, oculi sunt clari perfecte sani, alvus nunc liquidus, quare ad amara tonica transitum fecimus, et *die* 21, dum perfecta sana erat illam ultima vice visitavimus.

In rhachitide felix semper nostra fuit cura ope olei Jecor. Aselli. Hoc remedium empyrice propinatum, dum nil certi de ejus agendi ratione constat, fausto cum successu in omnibus nostris rhachiticis adhibuimus. Verosimiliter agit principio amaro-bilioso, quo digestio perfectior redditur, quamvis contra a pingue admixto diuturno usu intestina debilitantur. Hinc est quod illud oleum jecor. Aselli ad usum medicum optimum sit, quod non depuratum a mercatoribus habetur, in quo illud principium biliosum majori copia inest; minus valet illud quod percolatum dicunt valde pingue, et ab efficaci principio partim orbatum.

Morbus maculosus Werlhovii.

Morbum maculosum Werlhovii magno gradu vidimus in puella 6 annorum. Facies erat pallida, oculi languidi, labia oris caerulei, lingua alba, gingivae scorbuticae, ex quibus haemorrhagiae proveniunt, odor oris foetidus, petechiae in facie et membris, sed praesertim in abdomine, quod externe totum caeruleo-rubrum erat, pulsus debilis. Praescribitur linctus ex syr. pap. rhaead. cum acido mur. ad gingivas liniendas: interne decoct. cort. per. cum acido sulph. et vinum rubrum. Cutis lotiones frequentes adhibentur cum aqua et aceto. Hisce remediis intra duos hebdomades restituta est sanitas.

Stomacace scorbutica.

Satis frequentes sunt affectiones scorbuticae, praesertim stomacace scorbutica in infantibus. Facile hic morbus dignoscitur, nam antequam illi infantes os aperiunt, jam percipitur odor peculiaris ille scorbuticus ingratus. Hae affectiones scorbuticae plerumque comitantur vel potius oriuntur, a depravata digestione, alvum non deponunt, abdomen tumidum, durum, parva nonnumquam

salivatio adest, vigente appetitu. Gingivae parvis ulcusculis albis obsessae, dentes denudati, saepe cariosi sunt et sanguinem plorantes. Cura praesertim constitit in alvum restituendo, intestina roborando: hunc in finem plerumque dedimus purgantia, vel mixturas amaras, resolventes cum rheo, et collutoria adstringentia, antiseptica, ex infusione Rosar. rubr. vel herbae salviae cum acido muriatico vel linctus ex acid. muriat. cum syrupo papav. rhaead. aut melle rosar. ad gingivas liniendas: hisce plerumque hunc morbum sanavimus; in paucis casibus amara tonica adstringentia, aut cort. Peruv. adhibenda erant, ad curam absolvendam. Praecipua cura habenda est, in functionibus laesis instaurandis; nam illae affectiones scorbuticae oris symptomata sunt, non morbus ipse: qui solis gingivis medicamina adhibet, nisi in levissimo morbi gradu, morbum sanabit. Intelligitur exinde, quam male haec vitia illis confiduntur Chirurgis, qui nesciunt, vel quibus non licet, interna praescribere medicamenta, nam in his unica sanationis spes est habenda. Exemplum ante aliquod tempus vidimus in chirurgicis: mense Januario nempe, in Nosocomio auxilium petit mater quaedam cum infante $1\frac{1}{2}$ annorum; queritur infantem jam per sex hebdomades affectum esse, ulceribus genitalium et ani, haecce in dies

increscere, quamvis quotidie a Chirurgo visitatur; infante examinato patet, adesse ulcera extensa profunda scorbutica labiorum pudendorum et vaginae, dein et ulcus scorbuticum supra anum; patitur praeterea haemorrhagias ex gingivis scorbuticis et totum corpus hinc illinc obsessum est, parvis maculis caeruleis, petechiis. Infans jam debilis et laxus est, facies pallida, alvus saepe stricta, nunc autem ut narrat mater, sana. Praescripsimus roborantia antiscorbuticis juncta, et quidem decoctum cort. Peruv. cum acido sulphur., vinum Gallicum rubrum, et extus aquam vegetomineralem. Postero die infantem visitamus, sed jam mortuus est, verosimiliter ex larga haemorrhagia. A Chirurgo illo adhibita erat aqua vegeto-mineralis, et cum hoc remedio externo, per sex hebdomades quotidie ulcera tegit, quae et quotidie in pejus vergebant. Quid faciat cura rationalis in hisce malis, etiamsi fere desperatis, probavit cura illius morbi maculosi Werlhovii, jam memorati.

Et haec sunt commilitones amicissimi, quae breviter annotavi de morbis, a vobis omnibus hoc anno in Nosocomio observatis: nil notabile continet aliis medicis quibuscumque, sed fortasse nobis, quia postea in memoriam revocabimus gratum illud tempus, quo curis adhuc liberi, sub

auspiciis et consiliis praeceptorum maxime venerandorum, nostram artem addidicimus et praxin medicam sub illorum praesidio exercuimus.

Sequerentur quae annotavi de Chirurgicis et Obstetriciis, nisi res inprovisae me haec retinere juberent. Hoc monendum esse credidi, quia capiti hujus Dissertationis legitur, Pars Medica; hujus ratio est, quod prima pars jam typis esset exscripta, antequam consilium mutavi.

T A N T U M.

THESES.

I.

Ex febre ephemera benigna, ceterae explicari possunt febres.

II.

Febris intermittens prorsus alius est naturae, quam continua quaecumque.

III.

Febrem intermittentem ad morbos nervosos pertinere credimus.

IV.

Stimulis praeternaturalibus corpus assuescit, naturalibus numquam.

V.

Nullum exstat remedium specificum.

VI.

Epidemia regnans omnes fere morbos illius indolis participes reddit.

VII.

Moderate vivere, optimum est Cholerae Indicae prophylacticum.

VIII.

Diarrhaea, vomitus, et dolores spastici in Cholera Indica symptomata sunt, non morbus ipse.

XI.

Qui non est bonus medicus, bonus chirurgus esse nequit.

X.

Carcinoma morbus est universalis, non topicus.

XI.

Carcinoma insanabile esse credimus.

XII.

Placentae expulsio, in plerisque casibus frustra a naturae viribus exspectatur.